SCULPTURA

CARMEN.

Auctore LUDOVICO DOISSIN. S. J.

PARISIIS,
Apud THIBOUST, REGIS Typographum, in Plateâ Cameracensi.

M. DCCLII.

CUM PERMISSU.

AD SERENISSIMUM DELPHINUM.

REGIA progenies; quem Mars & doctus Apollo
Certatim donis excoluere suis;
Qui clara illustrans propriâ natalia luce,
Fortuna debes plurima, plura tibi;
Te nostra implorat supplex, DELPHINE, Camœna,
Nec timet antè tuos procubuisse pedes.
Respice nascentem non lævo lumine Musam,
Et pro more tuo, numine dexter ades.
Fors erit, ut quondam aggrediar tua dicere facta,
Et sis materies carminis ampla mei.
Quæ gladio perages, calamo dein exequar: urbes
Quas victor bello fregeris, ipse canam.
Sufficiet vires, animosque in carmina Phœbus;
Vel si fortè negat, tu mihi Phœbus eris.
Sponte suâ current tali sub Apolline versus;
Inque tuas laudes ingeniosus ero.
Nostra etiam Sculptura tibi de marmore signum
Exprimet, aut vultus finget in ære tuos;
Sideribus similes oculos, frontemque verendam,
Et totum niveo quod sedet ore decus.

Ipse adero præsens operi, dextramque periti

Artificis, Sculptor factus & ipse, regam.

Hinc clypeum, nudosque tibi Mars porriget enses;

Hinc Pallas laudis carmina plena tuæ.

In medio, quernâ redimitus tempora fronde,

Sublimi stabis conspiciendus equo.

Sic Sculptura tibi, sic serviet ipsa Poësis,

Laudes illa tuas pinget, & ista canet.

SCULPTURA

CARMEN.

SCULPTURAM canere aggredior; seu marmora circum,
Aut lapides versatur agens; seu marmoris expers
Aut lapidis, vitam infundit sensumque metallo.
Huc ades, ô magni decus ingeniumque parentis
Pallas, & audentem Sculpturæ accedere fontes
Aspectu recrea, atque audacibus annue cœptis.
Debita pro tanto solvam tibi munere dona.
Haud equidem cadet ante aras ingloria taurus
Hostia: sed lævi stabis de marmore tota,
Pallenti teneram frontem præsignis olivâ,
Et tremulum niveo quassans hastile lacerto.
a Antè laborato quàm Sculptor marmore vultus
Exprimere incipias, liquidove animare metallo;
Fictilis est primùm gypso, cerâve tenaci
Effigies fingenda tibi; quam deinde sequaris

a *Le Modéle en terre cuite, ou en plâtre.*

Æmulus ipse tui, ac imitando vincere certes.
Sic priùs incipiat quàm telæ credere formas,
Et mutis animam succis infundere pictor,
Exemplum meditati operis breviore papyro
Describit, magnæ præludia parva tabellæ.
Proxima [1] deinde tibi sit cura accersere marmor,
Aut lapidem, fabricandi operis, laudisque futuræ
Materiem: referat marmorque, lapisque politam
Planitiem speculi, quæ soli adversa renidet,
Et vitreo objectas mentitur in æquore formas.
Sufficiet lapides Arvernia, nobile marmor
Aut Genua, aut toto celebris Paros insula ponto.
At si pauperior ligno [2] uteris, utere ligno,
Quod nona ad minimùm revolutis messibus æstas
Viderit avulsum cæso de corpore matris.
Ni facias, miserè statuam labentibus annis
Deformet fæda excrescens in tubera lignum,
Et frustrà impensum tempusque oleumque requiras.
Omnis in hunc usum tibi commoda cesserit arbos,
Et tilia, & sorbus, cedrusque, & rasile buxum,
Et pyrus, & citrum, foliisque oleaster amaris,
Palmaque, castaneæque, ebenusque, & odoræ cupressus;
Qualem divitibus Cyprus educat insula sylvis.

1 *Sculpture sur le Marbre & sur la Pierre.* 2 *Sur le Bois.*

1 Sic * autem effinges vivas fuso ære figuras.
Exemplar primùm argillâ, glebâve tenaci
Fingitur: argillæ tum crusta inducitur udæ
Cerea, quæ strictis amplexibus alliget artus;
Ut nuda humanum pellis ligat undique corpus.
Ipsa dehinc tegitur medicato stercore cera;
Nostra ut multiplici velatur pellis amictu.
Immundum gelido cum induruit aëre cœnum;
Protinùs admoto tepefacta resolvitur igne;
Venturoque aditum recludit cera metallo.
Queis ita perfectis, scrobs tandem grandis apertâ
Detegitur tellure, locus, sedesque Typorum.
Intereà rigidum vastâ fornace metallum
Excoquitur, crassosque eructat ad æthera fumos.
Dum loquor, impatiens vinclis & carcere solvi
Quà data porta, ruit; non sic fracto objice torrens.
Præcipitat; fluit æs rivis, formamque Typorum
Accipit impressam, crescunt humerique manusque,
Aurea luxuriant graciles per colla capilli,

1 *Sculpture en Fonte.*

* *Pour jetter en fonte une Statue, on fait d'abord un moule de terre cuite, qu'on enduit d'une couche de cire, plus ou moins épaisse, selon qu'on veut donner plus ou moins d'épaisseur à la Statue; c'est ce que les Fondeurs appellent chemise de cire: sur cette première couche on en met une autre faite de fiente de cheval & d'autres matières semblables détrempées dans l'urine: cette dernière couche doit être beaucoup plus épaisse que la première. Après qu'elle est bien durcie, on fait fondre la cire, & on jette le métal à sa place. Voilà toute la méchanique de cette opération, qui demande beaucoup de temps, de soins & de précautions.*

Turget inane caput, digitorum nascitur ordo,
Crura tument, surgit cervix, protuberat alvus,
Natus homo est. Mediâ spirat redivivus in urbe
Henricus: spirat rigido LODOICUS in ære,
Qualis erat densos medius cum nuper in hostes
Iret, & impavido prosterneret agmina vultu.

[1] Naturam inprimis solers imitare magistram.
Nimirùm indè tuis splendorque decusque figuris
Venerit, & vulgus Sculptorum ignobile vinces.
Ingens quantùm alios superat venâ ubere Vates
Virgilius, mollî seu ludit pastor avenâ
Jurgia Pastorum, aut propiori numine plenus
Bella horrenda canit, rapidique incendia Martis.
Æquora si fingis, sic finge ut vera putentur
Æquora, marmoreos imitentur marmora fluctus.
Invitet somnos sub opacis frondibus arbor,
Ambiat & talem fessus reperire viator.
Finge rosas, nitidis quales nascuntur in hortis,
Quales blanda velit capiti implicuisse puella.
Scilicet hinc veteres laudem meruere decusque
Artifices: hinc dum in terris Sculptura vigebit,
Ipsorum in toto nomen celebrabitur orbe.
Ecquid Praxitelis Venerem [2] loquar? Aspice blando
Quantus in ore decor, teneris quàm viva labellis
Gratia, quàm pulchrè fluitent sine lege capilli.
Marmoreum quis credat opus, nisi staret eodem

[1] l'Imitation de la Nature. [2] La belle Venus de Praxitele dans le Palais Borghèse.

Usque loco? Sic namque oculos, sic ora tulisse
Crediderim Venerem, cum primùm emersa marinis
Fluctibus, attonitos cœtus ingressa Deorum est,
Et magni Jovis aula novo splendore refulsit.
Quid referam alterius monumentum insigne laboris
Laocoonta,[1] duo quem immensis orbibus angues
Circumdant, spirisque ligant ingentibus artus.
Cernis, ut ora modis contorqueat horrida miris
Laocoon sanie aspersus fædoque veneno?
Ut distenta tument inflatis guttura venis?
Horresco aspectans, gelidos tremor occupat artus,
Et fugio infandâ turbatus imagine mentem;
Usque adeò mirandâ opifex artem occulit arte;
Naturæ solers imitator & æmulus audax!

Quare age, seu mavis molles fuso ære figuras
Cudere, seu teneros è marmore ducere vultus,
Marmoribus vitam, sensumque infunde metallo,
Ipsaque naturam naturæ imitatio vincat.
Hinc adeò occultos motus, internaque mentis
Prælia pinge mihi vultuque oculoque loquaci.
Turbatam ostendat frontem timor, ira minacem,
Dejectam luctus, blandam spes, alma serenam

1 Le Laocoon du Vatican; Grouppe admirable fait d'une seule pierre, par Agésander, Polydore & Athénodore Rhodiens, excellents Sculpteurs. On peut voir le magnifique Eloge qu'en fait Pline au XXVI Livre de son Histoire naturelle.

Lætitia, & marmor, quanquam sine voce, loquatur.
Fœmineum exhibeat Dido decepta furorem,
Alcione luctum, rabiem Medea, dolorem
Andromache, furias Pentheus, Cassandra pavorem.

Ipsa sub artifici spirent animalia cœlo;
Muta licet, torvamque lupi sic sculpe figuram,
Et patulos rictus, dentesque, oculosque voraces;
Ut, verus simulatum hostem si viderit agnus,
Præcipiti repetat caulas & ovilia cursu,
Exertos fugiens ungues, porrectaque rostra.
Hinc tantos olim meruit Lysippus honores,
Diversa inprimis animalia ponere doctus.
Audacem si fingit equum, jam posse videtur
Currere; si piscem, patrias innare per undas;
Si taurum, mugire putes; rugire leonem;
Immanes ululare lupos, & frendere tigres:
Usque adeò mendax oculis imponit imago!
Ecquid opus docti Vaccam [1] laudare Myronis,
Ære laboratam: pendent palearia mento,
Grande caput, patulæ nares, frons aspera, cauda
Mobilis, hirsutum pectus: spirare putares.
Si videat taurus, solitos meditetur amores;
Mugitum tollat vitulus; delusus arator
Ad stabulum impellat; premat inscius ubera Pastor.

1 *La fameuse Vache de Myron si bien célébrée par les Epigrammatistes Grecs, & les Poëtes Latins.*

Artis [1] erit summum sic flexile reddere marmor,
Ut quamcunque voles sumat tractabile formam;
Par lanæ, facilive luto, ceræve sequaci:
Tractatumque manu doctâ, nunc lubricus anguis,
Nunc fiat maculosa tigris, nunc terga draconis
Induat horrendi, fulvi nunc ora leonis
Accipiat, formas patiens mansuescere in omnes.
Sint [2] pannis largique sinus, amplumque volumen:
Contrectare manus possit, levis aura movere,
Et tenuis Zephyri spirans agitare flabellum.
Candida nativis imitentur lintea rugis,
Virgatas chlamydes, contorto carbasa lino;
Atque artus circum sinuosis flexibus errent:
Qualis multiplici fugiens per gramina lapsu,
Anguis verrit humum, atque immensa volumina torquet;
Aut velut extendens per inanes brachia clathros
Vinea, nexilibus ramis se tollit ad auras,
Et nudos vestit serpenti palmite muros.
Intererit [3] *multùm* servus fingatur *an Heros;* [a]
Decrepitus ne senex, an adhuc juvenilibus annis
Fervidus; an longo duratus membra labore
Rusticus, aut assueta colos tractare puella;
Gallus, an auriferi qui potor & accola Gangis

1 *La coupe du Marbre.*
2 *Les Draperies.*
3 *Varieté dans les Figures selon la difference des personnes.*
a *Horace, Art Poëtique.*

Vicini rapido torretur solis ab igne.
Patria, conditio, sexus, spectetur & ætas.
Narcissum fingis? Narcisso lilia funde
Prodigus, & blandos in corpore sparge lepores.
Effœtum sed pone senem, cui pallida corpus
Deformet macies; devexo pondere cervix
Spectet humum, dubioque tremant vestigia gressu;
Sint hebetes oculorum acies, densissima barba,
Exangues vultus, calvum caput, arida pellis,
Rugaque multiplici frontem cavet aspera sulco.
Non divina volunt, ut cætera corpora, fingi.
Sint magnis magna ossa Deis, proceraque membra,
Et plusquam humanum humanâ sub imagine corpus.
Sic * Solem Sculptor cum ponere vellet in ære,
Cuderat ingentem statuam, quæ vertice nubes
Tangeret, & gemini suffulta cacumine montis,
Prodigiosa inter crurum intervalla, carinas
Exciperet plenis subeuntes ostia velis.
Orbis adoravit tantâ sub imagine numen.
Accipe nunc, [2] quænam doceat positura figuras.
Infelix mater sobolem quæ luget ademptam,
Ora tegat pudibunda manu, lacrymasve cadentes
Linteolo abstergat: sic quà de marmore surgit

1 *Les Figures Colossales.*
* *Le Colosse de Rhode en l'honneur du Soleil.*
2 *Les Attitudes.*

Richeli

Richelio [1] ingentis moles operosa sepulchri,
Flet mulier, largoque humectat flumine vultum;
Cui mœstos adeò gestus, habitumque dolentis
Nativâ solers descripsit imagine Sculptor,
Ut dolor ipse alio fingi neget ore; nec ipse
Spectator lacrymas valeat retinere sequaces.
Sit cubito innixus vates, quem sævus Apollo
Haud blandis urget stimulis. Sit corpore pronus
Qui veniam implorat, pressisque ad pectora palmis,
Ardentes supplex vultus ad sydera tollat,
Aut oculos demittat humi mœrore gravatos.
Aversus retrò incumbat, quem forma repentè
Horribilis visu terret; capitique tuendo
Officiosa vices clypei gerat utraque palma.
Sic teneræ matris gremium, amplexusque petebat
Territus Astyanax; cum magni torva videret
Ora Patris, nudosque enses, flammasque vomentem
Terribilem galeam, & nutantes vertice cristas.
Membrorum [2] mira inter se consensio regnet;
Immanem nec crura ferant exilia molem;
Aut humeros super ingentes puerile recumbat
Exiguumque caput: summis ut pendula tectis
Bracteola assurgit; tenui quæ concita vento
Volvitur, & multos dat in aëre stridula gyros.

1 *Le tombeau du Cardinal de Richelieu en Sorbonne, de Girardon.* 2 *Les Proportions.*

Inprimis quamcumque mihi sic sculpe figuram,
Ut quamvis cæso inscriptum sub marmore nomen
Haud legitur, tamen ex ipso deprendere possim
Intuitu mentem artificis, nomenque figuræ.
Haud secus expressit fictâ sub imagine Sculptor
Insignem facie juvenem [1], qui sustinet aurea
Poma manu, digitisque pedum suspensus in imis
Emicat; & celeri volet ilicet ocyor euro,
Ni basis astrictos artus, & crura ligaret.
Agnosco Hyppomenem, mentique Atalanta recurrit,
Dicta leves cursu rapido prævertere damas,
Antevolare notos, nec in æquore tingere plantas.
Sic etiam niveum Pario de marmore finxit
Annibalem [2] Sculptor, cui multus decidit in vas
Annulus è manibus, Cannensis præda triumphi.
At spirat quiddam indomitum, Romanaque signa
Insultans Aquilam calcat, frustrà ore minaci
Exertantem ungues, subjectaque colla tumentem:
Terribilem agnosco Pœnum, qui fulminis instar
Fregit inaccessas Alpes, domitamque subegit
Italiam bello, & Romanas terruit arces.

1 *A Marly on voit sur un piédestal une statue de marbre qui représente Hyppomènes qui court, & tient à la main les pommes d'or que Venus lui avoit données. Elle est au milieu du bassin appellé le bassin des carpes.*

2 *Aux Tuileries, au bout de la grande allée du milieu, près du grand bassin, Annibal comptant les anneaux des Chevaliers Romains tués à la bataille de Cannes; par Sébastien Slodtz, Sculpteur Flamand.*

Hæc equidem Sculptor prudens exempla secutus,
Quamque notis studeat propriis signare figuram.
Sylvanus teneram ferat ab radice cupressum;
Pulset Apollo chelym; prætentet pollice solers
Calliopea lyram; speculum Venus aurea gestet;
Spicula parvus Amor, pharetramque, arcusque sonantes;
Flora rosas; plenis fructus Pomona canistris;
Spicea serta Ceres; Momus larvam; ægida Pallas;
Pan calamos; sphæram Uranie; falcemque Priapus.

* At si fortè basis plures ferat unica formas;
Hoc opus, hic labor est diversos indere gestus
Cuilibet; ut niveo finxit qui marmore Nilum, [1]
Descripsit puerile, Deus quo cingitur, agmen.
Insidet hic humeris; hic grandia crura fatigat
Parvus eques; cochleas hic colligit; ille lapillos;
Atque alios alius meditatur in æquore lusus,
Ut tulit ingenium, trahit aut sua quemque voluptas:
Quos inter mirâ Nilus gravitate recumbit,
Sphinge super nixus, pronâque reclinis in urnâ.
Nescio quid toto divinum spirat in ore,
Et sedet in vultu Majestas Numine digna.

Atque utinam liceat longo describere versu
Singula Sculpturæ miracula; qualia quondam

* *Les grouppes.*

1 *Grouppe de marbre aux Tuileries représentant le Nil. Il a été fait à Rome d'après l'antique, par les Pensionnaires du Roi.*

Phidiacus labor effudit, doctique Myronis
Dextera, quæ fulvo finxit Lysippus in ære,
Praxiteles, doctusque Scopas, audaxque Prometheus,
Creditus æthereis rapuisse è sedibus ignem,
Quod vitam daret ille suis animamque figuris.
Nec divina tui, Michael, simulacra laboris
Prætercam: horrendum membrisque animisque Gigantem; [1]
Aligeram Veneris Prolem [2]; Julîve sepulchri
Magnum ornamentum pario de marmore Mosen; [3]
Flammea cui sacram distinguunt cornua frontem,
Longaque descendit subjecto in pectore barba,
Insidias factura oculis; tam sculpta peritè
Exprimit illa pilos, incanaque vellera menti:
Talis erat Vates, referens cùm numen in ore,
Suspensos inter fluctus, undasque frementes
Duceret Isacidum turmas; virgâve potenti
Fœcundos latices tactâ de rupe juberet
Ubertim fluere, & largos è pumice rores
Dispergi, gratos populis sitientibus haustus.
Pande Vaticanos [4] hortos, Burghesia [5] pande
Limina, Phœbe, mihi: sit fas spectare labores
Doctorum Artificum, & veteris spectacula Romæ.

1 *Le Géant de Michel Ange à Florence.*
2 *Son Cupidon.*
3 *Son Moyse, le plus bel ornement du tombeau de Jule II. Il ne s'est rien fait de plus parfait depuis les Anciens.*
4 *Les Jardins du Vatican à Rome, pleins de morceaux des plus grands Maîtres.*
5 *Le Palais Borghèse.*

Quanquam ego cur demens peregrinæ munera terræ
Commemoro ? cùm jam nec Romæ Gallia cedat.
Hinc adeò reliquas inter caput exerit urbes
Francigenæ Princeps, Materque Lutetia gentis.
Quid grandes portarum arcus, celebratave dicam
Compita; marmoreos, urbis miracula, fontes; [1]
Atque tuum imprimis, ingens Bucardo, laborem,
Egregium artis opus, quo Roma superbiat ipsa;
Tantus inest pannisque decor, splendorque figuris!
Hìc sedet augusto Regina Lutetia vultu,
Et populis dat jura suis, cui purpura pendens
Defluit ex humeris, atque aurea fibula nectit.
Sceptrum dextra gerit, corpus velatur amictu,
Et molles cingit rutilum diadema capillos :
At virides inter juncos, cannasque palustres,
Matrona cœruleos latices, & Sequana fundunt,
Et Dominam recreant sociatis fluctibus urbem :
Eximium laudaret opus Tritonia Pallas.

Aspice [2] quà leni præterfluit agmine turres
Sequana magnificas, atque alta palatia Regum;
Quàm pulcher se se splendentibus offerat hortis
Ordo figurarum, deceptaque lumina pascat.

1 *La Fontaine des Saints Innocens : celle de la rue de Grènelle, ouvrage du célébre M. Bouchardon, &c.*

2 *Aux Tuileries, entre autres Statues, un Faune qui joue de la flute; & une Flore de Coizevox; le grouppe d'Enée, d'Anchise, & d'Ascagne; de le Pautre. Au haut du Fer à Cheval, deux chevaux aîlés de marbre, dont l'un porte une Renommée qui embouche sa trompette, & l'autre un Mercure.*

Hîc Faunus tereti modulatur arundine carmen;
Mobilibus credas digitis percurrere cannam.
Illîc marmoreâ ſpirat ſub imagine Flora,
Os humeroſque Deæ ſimilis: namque ipſe decoram
Cæſariem Floræ Sculptor, lætumque juventæ
Afflavit lumen, niveæque inſignia formæ.
Parte aliâ Anchiſen ſubſtratus pelle leonis
Fert humeris pius Æneas, quem pulcher Jülus
Pone ſubit, ſequiturque puer greſſu impare patrem.
Quadrupedem quid utrumque loquar, queis docta periti
Sic manus artificis finxit lumboſque, pedeſque,
Criſpanteſque jubas, atque alta volumina crurum;
Ut tales olim optaſſet ſibi Caſtor habere,
Cùm victor medios rueret ſublimis in hoſtes,
Aut valido annixus torqueret pila lacerto.
Atque adeò tecum haud formâ certare recuſent
Bucephale, ingenti quanquam ſeſſore ſuperbis,
Et totum latè celebretur fama per orbem:
Quid Sancloviacas [1] opus eſt memorare figuras;
Marliacæ [2] ſimulacra Domûs; ſpectacula Pompæ
Verſalicæ [3]: campos ubi veſtit largior æther,
Diviſumque tenet ſolium cum Pallade Flora.
Namque inter nemorum latebras, hortoſque nitentes,
Marmoreæ ſurgunt paſſim fuſæque figuræ.

1 *Les Statues de Saint Cloud.* 2 *De Marly.* 3 *De Verſailles.*

Hinc mollis niveo ridet sub marmore Bacchus [1]
Purpureâ circùm redimitus tempora vite;
Qualis erat cùm pulchram olim Minoida solo
Littore desertam turbâ comitatus amorum
Convenit, lacrymasque manu detersit amicâ.
Illinc se Latona oculis mirantibus offert
Cratere in medio, [2] & fœtu comitata gemello:
Ardentes supplex vultus ad sidera tollit,
Questa Jovi; gelidos quia dùm potura liquores
Accessit, recreare sitim communibus undis
Turba procax vetuit: nec surdâ respuit aure
Jupiter: in turpes mutantur corpora ranas
Agricolæ; at veteris servant convicia linguæ,
Ultricemque odere Deam, ranæque procaces
Ejaculantur aquas, marmorque aspergine rorant.
Non procul hinc agnosco tuum, Pugette, Milonem [3],
Eximiæ simulacrum artis; quem fissile robur
Captivum retinet: verum ecce paludibus exit
Bellua vasta leo, & rabie stimulatus edendi,
Imprimit in magno truculentos corpore dentes;
Offensum luget marmor, furit, æstuat, ardet.

1 *Dans le Parc de Versailles, Bacchus couronné de raisins. Cette Statue est de Regnaudin.*

2 *Le Bassin dit de Latone, sur lequel s'éleve un grouppe de trois figures qui représente Latone au milieu d'Apollon & de Diane ses enfans. Le Sculpteur a pris le moment où Latone se plaint à Jupiter de la dureté des Paysans de Lycie. Le Bassin & les Figures sont l'ouvrage de Marsy.*

3 *Le Milon de Puget.*

An memorem Phœbi mergentis in æquore currus
Balnea [1] ? Stant circùm famulæ pulchro ordine
Nymphæ,
Cæsariem effusæ per eburnea colla decenter :
Aureas hæc phialas, laticesque effundit olentes ;
Altera linteolo detergit, & altera sparsos
Molliter in nodum religat post terga capillos.
Intereà stabulantur equi, viresque resumunt,
Quò valeant terras iterùm lustrare patentes,
Ætheris immensos tractus, cœlumque profundum.
Quid Venerem [2], Martemve [3] sequar, celeremve Dianam [4];
Andromeden [5] saxo affixam, cui vincula Perseus
Solvit amans; lymphas pro flammis ore vomentem
Enceladum [6]; aut rigido transfixum pectora
ferro
Athletam [7], & sensim, saxo moriente, cadentem.

1 *Les Bains d'Apollon. Grouppe de sept Figures, & un des plus grands qui ait encore paru. La Figure d'Apollon & des trois Nymphes de devant sont autant de chef-d'œuvres, de Girardon. Les trois de derrière sont de Regnaudin. A droite & à gauche sont deux autres grouppes. Ils représentent les chevaux d'Apollon abreuvés par des Tritons. Celui qui est à droite est de Guerin, l'autre de Marsy.*

2 *Vénus surnommée la Pudique à cause de son attitude modeste. Cette Statue est de Coizevox d'après l'antique qui est à la vigne Borghèse.*

3 *Le Mars de Desjardins.*

4 *La Diane de Marsy.*

5 *L'Andromède de Puget.*

6 *Encelade accablé sous le Mont Ossa & le Mont-Olympe, de Marsy.*

7 *Le Gladiateur mourant de Mosnier d'après l'antique qui étoit autrefois à la vigne Ludovise.*

Non mihi si centum facilis Deus annuat ora,
Singula dicendo percurrere marmora possim;
Quidquid Pugettus [1] finxit, Gujoque [2], Piloque [3],
Vanclevusque [4], & Legeretes [5], Sarazinus [6], & ambo
Anguerii fratres [7]; quid cum Theodone [8], Girardo [9],
Marsius [10] & Flamen [11], quorum inclyta nomina nunquam
Ulla dies poterit, nec edax abolere vetustas;
* O, si tantorum vestigia nota secutus
Artificum, primis tractassem marmor ab annis;
Ut calamum & libros; quàm Principis ora juvaret
Nascentis, similemque ad vivum effingere formam!
Non me Praxiteles vincat, non ipsa Myronis
Dextera. Jam primùm docili de marmore cunas
Exprimerem: cunis recubaret amabilis infans,
Qualis Amor fingi solitus, si fortè sopori
Lumina permittat: Puerum complexa jacentem
Afforet ipsa Parens myrto redimita virenti;

1 *Puget grand Sculpteur, grand Peintre, grand Architecte François.*
2 *Goujeon Sculpteur François.*
3 *Pilon Sculpteur François.*
4 *Vanclève Sculpteur François.*
5 *Legeret Sculpteur François.*
6 *Sarazin Peintre & Sculpteur François.*
7 *François & Michel Anguier Sculpteurs François.*
8 *Théodon Sculpteur François.*
9 *Girardon Sculpteur François.*
10 *Marsy Sculpteur François.*
11 *Flamen Sculpteur François.*
* *Ce Poëme fût récité quelques semaines après la Naissance de Monseigneur le Duc de Bourgogne.*

Afforet ipſe Pater velatus tempora lauro ;
Et noſter Lodoicus amor, quem prodiga totum
Deſuper expanſis tegeret victoria pennis :
Gallia non procul hinc auguſtæ inſignia Gentis
Lilia porrigeret Puero ; cui turba jocorum
Spargeret è calathis circum cunabula flores,
Lætaque odorato ſacrum caput imbre rigaret.
Intereà ſolers ærata cuſpide Pallas
Carmina marmoreis hæc ſcalperet aurea cunis :
Borbonia hîc spirat ficta sub imagine Proles,
Deliciæ Matris, spes Regni, Patris imago.
* Sive autem ære mihi, ſeu marmore *Proſtypa* fingis ;
Qualia vel foribus Regum ſublimibus adſtant ;
Vel doctis veterum apparent impreſſa columnis ;
Cælatis Sculptor Pictorem imitare tabellis :
Namque ſuas habet ipſa etiam Sculptura tabellas ;
Ipſa ſuas umbras, proprios habet ipſa colores.
Inprimis ſibi non noceat confuſa tumultu
Turba figurarum [1], ſed amico fœdere junctæ
Auxiliumque decuſque ſimul ſibi mutua præſtent.
Sic habilis rigido quondam deſcripſit in ære
Sanguineam Sculptor pugnam [2], quâ viribus impar,

**Les Bas-reliefs.* 1 *La Clarté.*
2 *Bataille de Turkeim le 6 Janvier 1675 ; où M. de Turenne força les Impériaux de repaſſer le Rhin avec vingt mille hommes qui leur reſtoient de ſoixante mille dont leur armée étoit composée en entrant en Campagne.* Hénaut, an. 1675.

Non animo, non arte minor, Turennius Heros
Austriacas fudit, Rheno frendente, Phalanges.
Hinc fugiunt hostes, illinc fulgentibus armis
Urget agens Gallus; strictum micat undique ferrum:
Parte aliâ rutilo Ductor spectandus in ostro
Eminet, & cunctis ignesque animosque ministrat:
Pugna resurgit atrox; denso ruit agmine turba;
Semineces volvuntur equi; mixtusque viro vir
Implicuit sese; pulsu tremit excita tellus,
Et fuso latè restagnant sanguine campi.
Verùm inter stragemque virûm, armorumque tumultus,
Ordine cuncta suo pulchrè digesta notantur,
Nec mixtis ingrata venit confusio formis.
Haud secus argutas voces si quandò maritat
Musica cum fidibus, resonent licet organa mille,
Præclarum quiddam exurgit, blandumque sonorem
Offensi lapides, & concava saxa remittunt,
Concordesque vel ipsa sonos discordia gignit.
* Ut medius pendens Lychnus laquearibus aureis,
Vasta licèt largo circùm atria lumine complet,
Sic totâ focus in tabulâ sit luminis unus,
Hauriat unde omnis, veluti de fonte, figura,

* *Un seul centre de Lumière.*

Et sculpta exugant proprium simulacra nitorem.

* Nativas si ruris opes, & munera fingis,
Nescio quid lætum sculptis infunde tabellis :
Candida sub docto nascantur lilia scalpro,
Pallentes violæ, tenerâ lanugine poma :
Marmoreo inprimis redivivus ab æquore Titan
Vestiat excelsos nascenti lumine colles :
Hîc leni fugiat per florea prata susurro
Rivulus, & læves interstrepat unda lapillos ;
Illîc maturas robustus messor aristas
Colligat in fascem ; molles aut vinitor uvas
Exportet calathis, rubicundi munus Jacchi.
Non procul hinc pastor lentè resupinus in umbrâ
Agrestes inflet calamos ; dum gramina campis
Tondet ovile pecus, viridique exultat in herbâ.
Pone lupum in sylvis, teneros in montibus agnos,
In pratis tauros, mutos in flumine pisces,
Errantes passim per inhospita saxa capellas,
Et damas, imbelle genus, cervosque fugaces.
Expressi nativa placet sic ruris imago.

Respice quid deceat [1] ; nec sit pars una tabellæ
Nuda tibi penitus, dum plures altera formas
Obtulerit : sed utramque pari discrimine Sculptor
Vestiat, & justo dimensam examine libret.

* Umbrarum ad lucem, vel amicas lucis ad umbras
Transitus offendet, si sit velocior : ergò

Les Paysages. 1 *L'Equilibre.* * *Les Ombres & les Jours.*

Sic prudens manus artificis dispenset utrumque,
Ut nimiam umbra diem, nimiam lux temperet umbram,
Et futura habilis spectantia lumina fallat.
Sic rerum ille opifex nutu qui temperat orbem,
Splendori solis nimio præcedere lumen
Mitius auroræ jubet; & non illicò terras
Involvit tenebris; sed blanda crepuscula mittit,
Et noctis simul & roseæ confinia lucis.
* In mediâ eniteat Princeps persona tabellâ;
Ut solet in scenâ se prodere Regius actor,
Atque omnes spectantum in se convertere vultus.
Sic rutilo quondam Nioben qui Sculptor in ære
Condidit, & Niobes fatum miserabile prolis,
Exanimes inter natos, natasque peremptas,
In medio matrem apposuit, quæ corpore toto
Totâ veste tegens, minimam defendere natam
Nititur incassùm, & tristi subducere letho:
Namque venit nullâ medicabilis arte sagitta,
Quæ teneram volucri transfigit arundine prolem:
Matris in exanimi spirat dolor iraque vultu.
Denique [2] *sit quodvis simplex duntaxat & unum.**
Sobria fastidit nimia ornamenta tabella.
Naufragii cælanda tibi feralis imago:
Quid mihi maturas Sculptor malè prodigus uvas
Exprimis, aut flores, myrtosve, humilesve cupressus?

* *La principale Figure.*
1 *Niobé au milieu de ses enfans morts ou mourants, dans les Jardins de Médicis, On attribue ce Bas-relief à Scopas ou à Praxitèle.* 2 *L'Unité.*
* *Horace, Art Poëtique.*

Quid volucres cœlo, quid mergos littore fingis?
Æquoris irati speciem volo; finge tumentes
Horrendùm fluctus, elisaque nubibus atris
Fulgura, nigrantem commistâ grandine nimbum,
Pallentes gelidâ mortis formidine nautas,
Et de præcipiti pendentem rupe carinam;
Immenso velut in pelago, si fortè procella
Incubuit, nimbosque ferens noctemque profundam;
Protinùs accensus crebris micat ignibus æther;
Ingeminant austri; cœlum tonat; æquora fervent;
Præcipitesque ruunt resolutis nubibus imbres.
* Quid jam Sculptoris dotes & munia dicam?
Sculpturæ quisquis sacros penetrare recessus
Cogitat; an magnum tantis respondeat ausis
Ingenium, exploret, prudensque interroget alas,
Ignoto antè velit quam se committere cœlo.
Non omnes secto humanos de stipite vultus
Ducere, vel mutis possunt infundere vitam
Marmoribus: licitum id paucis, quibus æqua Minerva
Arrisit blandè aspirans, animosque ministrat:
Ergò nisi fœcundum habitet sub pectore numen,
Necquicquam in sterili multùm sudabis arenâ,
Ingrato impendens noctemque diemque labori.
Heu! nunquam ad seros pervadet fama nepotes.

* *Qualités du Sculpteur. Le Génie.*

* Solemnes etiam populorum calleat usus
Sculptor, & in variis quæ sint discrimina cultûs
Gentibus: hîc longam, veteri pro more parentum,
Induitur vestem populus; quam sutilis ambit
Baltheus, & lato subnectit fibula clavo:
Pes nudus, caput abrasum; sed longa capillos
Absentes reparat prolixo vellere barba.
Illîc aureolos mos est crispare capillos,
Et barbam tondere gravem, circumdare plantis
Vincula, pileolum capiti gestare decorum.
Hîc galeâ miles, cristâque hirsutus equinâ,
Ære caput, rigido defendit acinace corpus;
Illîc nec galeâ tegitur, nec cingitur ense;
At gravidam ex humeris pharetram suspendit & arcum,
Et jaculo bellum exercet, levibusque sagittis.
Ergò pro variis vestis varianda figuris,
Signandæque vices; nec ineptum imitabere factum
Artificis, qui cum Ottomanâ de gente virum quem
Finxisset, curtam longo prò Syrmate vestem,
Et petasum dederat pro lineo ferre galero,
Et magnum armato lateri suspenderat ensem;
Ridiculè: nec enim gravius, me Judice, peccet,
Qui pinnas avibus, vel equinæ cornua fronti,
Aut rigidas tauro squammas, pennasve leoni
Affingat; rerum naturam & nomina mutans.
*Membrorum inprimis fabricam callere decebit

* *La science du Costume.* * *De l'Anatomie.*

Artificem, ut toto sparsas in corpore venas;
Nervosque, gracilesque toros in marmore ponat;
Atque adeò rigidum marmor spirare putetur.
Hinc tantos olim plausus & munera laudis
Versalicis meruit Pluto [1] spectandus in hortis.
Nam sic in collo, lumbisque, & poplite nodi,
Sic tenues toto nervique torique videntur
Corpore, & implicitis venarum sylvula ramis;
Ut teneras carnes, vivum quis cernere corpus
Autumet, ac tumidas inflari sanguine venas.
* Religio veterum quidquid docet, atque Poëtæ
In scriptis cecinere suis, non ultimus esto
Edidicisse labor; ne fortè ignarus & expers
Affingas Veneri clypeum, talaria Phœbo,
Mercurio thyrsos, imbelli fulmen Amori,
Et curvos Neptuno arcus, & spicula Musis;
Unde omnis tollat spectantum turba cachinnos,
Et bardum artificem pro scalpro sumere trullam,
Aut cœlum jubeat rigidâ mutare bipenni.
* Nunc age quis vivos primus de marmore vultus
Duxerit, antiquâ repetens ab origine pandam.
Quà fluit exundans effuso flumine Nilus,
Stagnantesque agros fœcundis alluit undis;
Fama refert vixisse olim par nobile fratrum,

1 *L'Enlévement de Proserpine à Versailles au milieu de la Colonnade. Ce beau Grouppe est de Girardon.*

* *De la Fable.*

* *Origine fabuleuse de la Sculpture.*

Ambo pares ætate, pares virtutibus ambo;
Qui vanos aulæ ſtrepitus, urbiſque tumultum
Ut fugerent, primâ vixdum florente juventâ,
Abſtruſas ſoli nemorum petiere latebras;
Atque ibi tranquillam tecto ſub paupere vitam
Degebant procul à patriâ, amplexuque ſuorum.
Mira fuit præſertim inter concordia fratres;
Nec tanto Niſum Euryalus complexus amore eſt,
Nec tantùm fidus Pylades ardebat Oreſtem.
Unà carpebant molli ſub gramine ſomnos,
Unà ſecreti fallebant tædia ruris,
Aut toto timidos agitabant æquore damas.
Felices ambo, ſi nunquam tela Dianæ
Tractaſſent, pharetraſque leves, arcuſque ſonantes.
Nam cum fortè ſimul venatùm exiſſet uterque,
Et prædam nemorum ſeceſſus inter opacos
Quæreret, unde cibis menſas oneraret inemptis;
Damonem Alcippus (puero nam nomen utrique
Hoc erat) in ſylvâ, quà plurimus incubat horror,
Aſpicit immotum, & proflantem pectore ſomnos:
Quem ratus eſſe feram, magno molimine telum
Conjicit, & miſeri rumpit præcordia fratris.
Sternitur infelix lethali vulnere Damon,
Et multo vitam cum ſanguine fundit in auras.
Ille volat, prædamque ſibi gratatur opimam;

Nescius heu! quali macularit sanguine ferrum!
At quantus gelidos horror circumstetit artus,
Cum videt exanimi corpus miserabile fratris,
Liventesque genas, oculosque in morte natantes!
Illacrymat, mœstisque agros ululatibus implet.
Non sic amissâ viduatus compare turtur
Triste gemit, raptosque sibi suspirat amores:
Non sic ad glacialem Hebrum, Tanaimque nivalem,
Flebilis Eurydicen Orpheus revocabat ademptam.
Te, te, ait, *occidi, Damon, charissime Damon,*
Damon noster amor, Damon mea sola voluptas.
Quin etiam est animus fatalem abrumpere vitam,
Et Stygias misero fratri comitem ire sub umbras;
Fata obstant, prohibetque mori Tritonia Pallas;
Quæ purâ extemplò per sylvas luce refulgens,
Desine, ait, *steriles oculis effundere fletus*,
Et fratri vitam extincto qui reddere possis,
Accipe: nam quamvis nequeant ad limina vitæ
Surgere, quorum oculos pressit vis ferrea lethi;
Si nostris tamen haud monitis parere recusas;
Ille tuus, duro raptum quem funere luges,
Æthereas iterùm frater remeabit ad auras.
Tantùm hunc quem viridi revolutum conspicis herbâ,
Arripe felicem truncum, multisque rebellem
Cædito vulneribus, dùm tandem sumere vultus
Fraternos videas, notamque exurgere formam.
Ipsa tibi, dextram ipsa reget Tritonia Pallas.
Dixit, & in tenues aversa evanuit auras.